DE MEDICAMENTIS IN FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS CORTICI PERUVIANO SUBSTITUTIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM BEROLINENSI
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXII
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS ADAMUS ERNERT
SAXO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

B. LANGHEINRICH, MED. DD.
A. ROEDENBECK, MED. DR.
G. ZIMMERMANN, MED. DR.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

Cortex peruvianus quamquam paene e ducentis annis tamquam remedium specificum in febribus intermittentibus curandis usurpatus sit, variae multiplicesque tamen eum adhibendi rationes adhuc extant, ita ut rarissime medici reperiantur, qui in una eademque conveniant. Fuere enim alii, qui, se omnes morbos cuique remedio obsistentes modo corticis virtute sanasse affirmarent, alii ut schola Stahliana, qui vires eius plane repudiarent. Hinc autem, medicos hoc medicamento abusos esse apparet; nam id singula ullius morbi symptomata rectumque usum negligentes saepe tamen adhibuerunt, quam ob rem factum est, ut cortici mox quaeque laus tribueretur, mox ipse plane reiiceretur. Quam saepe autem nonnulli corticem vituperaverunt et de viribus eius conquesti sunt, tamen ei nomen specifici antifebrilis iure tribuendum est, et innumeri fere sunt scriptores, qui de corticis peruviani viribus rectoque usu non modo in febribus, verum etiam in aliis morbis praeclarissimas observationes ediderint. Argumenta, cur cortex Chinae ex-

spectationi interdum non respondit, in eo niti mihi videntur, quod medici nec tempore opportuno, nec sub forma utili, dosi inepta aegris saepe non solum intermittente, sed etiam aliis morbis affectis suppeditarunt. Nam systematis irritabilis debilitate, maximaque laxitate nervosa in organismo observatis plane eum refutare coacti sumus, aut certe aliis remediis commiscendi medici officium est. Quam ob rem neque musculis valde contractis, vasis, organisque abdominalibus obstructis, neque in morbis, ubi intestinorum tractus sordibus repletus aut ad cibos assimilandos nimis imbecillis factus est, neque in diathesi phlogistica adhiberi potest. Interdum tanta est ventriculi sensibilitas aut talis eius idiosyncrasia, ut revera ferri id remedium non possit, nisi arte quodammodo contemperetur. Medici autem ipsi quum in cortice adhibendo a propositis aberrarent, adeoque a mercatoribus lucri percupidis variis mixtionibus et artificiis adulteraretur, aliter fieri non potuit, quin in medela saepe auxilium denegaret atque nonnulli, praesertim tempore, quo intermittentes pertinacissimae erant exortae, cognoscendis aliis medicamentis, quae Chinae substitui possint, omnem operam darent. At ex tot nobis tributis ne unum quidem alterumve in febribus intermittentibus curandis corticem superavit; nam quae tantum in singulis aegrotis et quidem sub certis conditionibus interdum unam alteramve intermittentem sanaverant, cui cortex modo recte adhibitus semper mederi solebat, eius locum supplere nequeunt. Febrifuga vulgo etiam appellata, summopere celebrata haecce sunt:

Radix Caryophyllatae (Nelkenwurzel) 1).
Geum urbanum Linn.

Certe inter omnia remedia cortici Chinae substituta primum locum obtinet; virtutemque huius antifebrilem atque egregiam tonicam inde ab anno 1781 divulgavit Buchhave 2). Quae cortici praemissa iis febribus convenientissima, in quibus facultate tractus intestinorum perturbata systematis nervosi debilitas tollenda est. Saepe cortice frustra usurpato illa quoque effecit, ut febris decederet. Frank 3) omnibus in morbis, in quibus China regia laudata est, Caryophyllatam quoque commendavit. Astius miram huiusmodi remedii facultatem antifebrilem expertus est in intermittentibus diuturnis et admodum recidivis, chinae iam non amplius auscultantibus. Nonnulli hanc radicem saepe nihil praestitisse observantes plane contemnunt. Illi vero de recto usu medico securi, quovis tempore aegris praebuerunt. Nam systematis irritabilis facultate ita laesa, ut nonnisi remediis efficacissimis ad meliorem pristinumque statum redigi possit, salutaris non est; contra autem irritabilitate minus perturbata, agilitate nervorum imminuta, usus eius feliciorem eventum habebit. Maximam utilitatem crebro in morbis chronicis, qui plerumque intermittentes sequuntur, at-

---

1) Koch praes. Weber diss. de nonnull. febrif. virt. et speciat. Gei. urban. rad. effic.

2) Observ. circ. rad. Gei. urb. s. Caryoph. vir. in febr. intermitt. aliisq. morb. instit.

3) Hufeland's Journ. d. prakt. Heilk. B. XXIV. St. 4. S. 152.

tulit. Drachmae tres in subtilissimum pulverem redactae in sex partes aequales divisae, commode inter apyrexiam praescribuntur.

Cortex Hippocastani 4) (Rosskastanienrinde). Aesculus Hippocastanum L.

Decerpitur cortex e ramis neque nimis vetustis, neque nimis novis, siccatusque in pulverem redigitur. Iam gustus chinam aequat. Hoc etiam remedium antifebrile multis ex annis magnam sibi famam conciliavit, atque vires eius antifebriles nostris temporibus quoque Hufeland 5) probavit. Quem corticem recentem alkoholisatum saepius refracta dosi praebere febri laborantibus hic suadet v. c. omnihorio grana decem, iisque aromata perbene indita. Praeterea aegri inter apyrexiam certe unciam dimidiam assumant, et in inveteratis dosis ad unciam unam usque augeatur. Si vero cortex Hippocastani molestias doloresque ventriculi vehementes efficiat, vino, tincturisque aromaticis aut vomitando guttulis aliquot tincturae opii simplicis commixtus, praestituatur. Forma pulveris, quum in subtilissimum redigi nequeat, et sub hac difficilis digestu sit, eligenda non est; multo magis decoctum prodest. Extracti grana decem bihorio praescripta aut interdum in pleniori dosi per minora intervalla porrecta, multum praestiterunt.

---

4) Turra dell. febrif. facolt. dell' Ippocast. übers. von Buchholtz. Weim. 1783.

5) Journ. d. prakt. Heilk. B. XXI. St. III. S. 167.

Flores et radices Arnicae 6) (Wolverley).
Arnica montana L.

Etiam hoc remedium antifebrile a nonnullis 7) adversus febres intermittentes inveteratas, aliasque pertinaces et proponitur et magno in pretio habetur. Flores radicibus summitatibusque praepositi, modo in illo statu febrili prosunt, in quo plexus nervosi atonia praediti, vasa organaque abdominalia obstructa inveniuntur, aut ubi alia remedia volatilia viscera abdominis maxime irritantia necessaria sunt. Maiori utilitate Arnica praeparato e ferro et extractis amaris aut multo magis volatilibus commixta cortici ipsi adiicitur, maximamque laudem meretur aegrotis torpore praeditis porrecta. Qua de caussa hoc remedium negligendum non est in intermittente quartana autumnali. Si aegri diarrhoea affecti sunt, radix praeferenda est. Nonnulli auctores flores ad grana quindecim suadent, qui vero efficaces satis non sunt.

Cortex Angusturae verae 8) (Angusturarinde)
Bonplandia trifoliata Willd.

Plerumque adversus intermittentes magni momenti fuit, ac ipse febri laborantibus refracta dosi inditus,

---

6) Plies in Hufeland's Journ. d. prakt. Heilk. B. IX. St. II. S. 87.

7) Collin Arnicae in febrib. vires s. observ.

8) Vid. Alex. Williams Lond. Jour. V. I. p. 158. — G. Wilkinson Lond. J. part. IV. — Filter de cort. Angust. eiusq. usu med. — Oberteufer in Huf. Jour. d. prakt. Heilk. B. IX. St. III. S. 115.

saepe impediit, quominus paroxysmus recens exoriretur. Quamquam autem bene coctus detrimentum organis abdominalibus non afferat, medicos tamen in usu cortice ipso multo frequentius reliquit. Maximam vim in febribus cum diarrhoea complicatis, aut si aegri modo ad eam propensi erant, exseruit. At Angustura vera quum spuria saepius corrupta sit, in ea adhibenda cautissime agamus, necesse est; nam spuria semper symptomata aequalia iis, quae venenis devoratis apparent, provocat.

Cortex Salicis. (Weidenrinde)

Species salicis, quarum corticem adhiberi scriptores 9) volunt, praeprimis salix pentandra et alba sunt. Quum autem harum specierum cortices aliis remediis maiorem principii adstringentis copiam contineant, promissum praestare nequeunt; et ab usu in spasmis doloribusque colicis abstinendum est. Interdum modo cum iis aromata adderentur medici in intermittentibus legitimis utilitate viribusque eorum gavisi sunt. Sic quinquaginta aegros et plures sine ulla noxa perfecte a se sanatos asserit Etmund. Stone 10).

---

9) J. W. Günz diss. de cort. Salic. cort. peruv. subst. coment. — Akenberg praes. Rosenblad diss. de usu cort. Salic. in febr. interm.

10) Phil. Transact. 1763. Vol. LIII. p. 195.

Fabae Coffeae (Kaffee).

Coffea arabica L.

Experimenta Grindeli 11) ex quibus ipse Coffeam de mixtura rationeque chemica cum cortice congruere obtinuit, ambasque substantias neque materia scytodephica neque acido galico, multo magis vero vegetabili glutine, proprioque acido ornatas esse, itaque pro cortice in intermittentibus porrigi posse, viri experientia edocti nondum affirmarunt. Frequenti usu commendatissimum est Andoni Febrifugum 12) e fabarum Coffeae saturatiori decocto et citrei mali succo compositum. Paldamus 13) pulverem utilissimum esse praedicans in febribus, ubi cortex non confectus vires denegavit, semina quidem ruda in pulverem subtilissimum redacta commendavit. Pulvis quoque una cum decocto coniunctus praebeatur aegris. Fabae Coffeae ipsius tostae etiam laudibus extolluntur 14). Alvum et sudorem movere dicitur.

Radix Liriodendri (Tulpenbaum).

Liriodendron tulipifera L.

Tempore demum recentiori ut febrifugum ab Hildenbrando 15) celebrata est, quam sex aegrotis febre

---

11) Hufeland's J. d. pr. Heilk. St. VI. S. 99. 1809. — Chinasurrogat v. Grindel. Leipz. 1809.

12) Journ. de Med. Vol. XXIV. p. 243.

13) Der Kaffee als Fieberm. und Medic. überhaupt. in Horns Archiv. B. VIII. St. II. p. 319.

14) Fritze med. Annalen Tom. I. p. 322.

15) Versuch mit einem neuen Surrogat der China.

intermittente laborantibus bis, ter quaterve die ingestam summopere profuisse auctor narrat.

Cortex Cascarillae 16) (Kascarille).

Clutia Eleuteria L.

Cuius vires non solum in systemate irritabili, sed etiam in vasis nervisque late patent. Itaque hoc eximium medicamentum tonicum pro China, quae multis in morbis ob maiorem scytodephii copiam confici non potest, commode porrigitur. Asseclae Stahliani in adultis intermittente pituitosa affectis adeoque in reconvalescentibus ipsis usum observasse efficacissimum referunt.

Cortex Aurantiorum (Pomeranzenschaalen).

Citrus Aurantium L.

Cortices et soli et una cum cortice peruviano ipso coniuncti auctoribus Werlhoffio 17) atque Heistero in pluribus intermittentibus vernalibus efficaces se praebuerunt, quorum alii quoque in aliis febribus intermittentibus testantur utilitatem.

Colla (Kleber) 18).

Adversus pertinaces intermittentes epidemicas endemicasque multum non praestitit; maiorem vero lau-

---

16) Joerdens in Huf. Jour. B. IV. S. 234. und Hufe. ebend. B. XV. St. I. p. 153.

17) Vid. Werlhoff. oper. p. 750 — 60.

18) Roeschlaub Bemerk. über die Anwend. d. Colla,

dem meretur in chronicis senum febribus curandis. Ceterum in quoque statu febrili, ubi materiam organismi restituere debemus, sub morsulis, quibus etiam aliquot guttae ullius olei aetherëi aut alia aromata addenda sunt, suppeditatur.

Radix Valerianae minoris s. silvestris (Baldrian).

Valeriana officinalis L.

In intermittentibus, in quibus excitantia quoque volatilia necessaria sunt, minimam vim mitigandi exhibuit Valeriana sola tributa. Verum etiam radix tam sola quam cortici adiuncta, una cum balneis aromaticis in quoque statu spastico, ut in omnibus intermittentibus nervosis v. c. convulsivis, epilepticis, cardialgicis, tetanicis etc. summopere laudatur. Dosis et pulveris et infusi est.

Opium (Mohnsaft) 19).

Papaver somniferum L.

Hoc quoque remedium antifebrile dictum iam a maioribus sub certis quidem conditionibus in intermittentibus adhibitum est. Romani Arabesque theriaca medicique medii aevi opio diverse sunt usi. Neque vero putandum est, omnem intermittentem modo vir-

---

19) Vid. Linds Versuche über die Krankheiten der Europ. in heiss. Klimaten. — Schaertlich diss. de usu opii in febr. interm. — Reimarus diss. animadv. de opii praecip. in febrib. exhibens — Ettmüller prax. Lib. I. c. II. — Fordyce in Murray's Bibl. B. III. St. 3. p. 408.

tute opii removeri posse, in plurimis enim quaeque adhibendi ratio noceret. Vires eius medicinales in iis intermittentibus illustratae sunt, in quibus tractus intestinorum ita est affectus, ut evacuationes cuiuscunque generis ut alvi fluxus, vomitus etc. salutem in periculum vocarent. Nec opium negligendum est in intermittentibus nervosis, ubi convulsiones aut alia phaenomena spastica apparent; quod quidem non solum tempore apyrexiae ad grana duo et tria cum camphora coniunctum porrigitur, sed etiam paroxysmo nondum finito. Praeterea balnea tepida aromatibus infusa atque linimentum ammoniatum cum opio abdomini infrictum magnam utilitatem attulerunt. Sic quoque statum malo hypochondriaco atque hysterico laborantium infusum Valerianae cum opio commixtum leviorem reddidit. Hinc Opium modo in iis intermittentibus requiri apparet, quae remediis resolventibus et drasticis adhibitis malignae factae sunt, ut postea corticis ipsius usui ceterisque medicamentis febri coërcendae servientibus se pertinaciter opponerent. Neque eius effectus praetereundus est in intermittentibus nervosis, algore, pulsu parvo, trepidante et contracto, spasmis, syncopi, deliriis, cephalalgia, pedibus digitisque refrigeratis, lingua pura et sicca, vomitu etc. complicatis. Opium etiam nonnulli et theriacam ante accessionem dari iubent. Sudorem promovet, si aeger lectulo se contineat, et deinde decoctum aliquid sudoriferum praebeatur, ut provocato sic sudore frigus arceatur. Aegrotis autem ad leviorem gradum synochalem modo praedisponentibus porrectum, semper magnum detrimentum attulit, quod deinde tantum

aliis remediis utilibus reconcinnaretur, quam ob rem id tantum cautissime adhibeamus, necesse est. Nata inde lethalia et vix superanda symptomata narrant alii. De formis et dosi opium praescribendi medici valde inter se differunt. Alii de viribus eius refracta dosi ad guttas quinque-sex-octo inter apyrexiam multum sibi promittunt, alii opium ad grana quatuor ad sex usque aegris paulo ante paroxysmum exortum attribuentes affirmant, hunc nunquam rediisse plena dosi; alii vero experientia edocti effectum denegantes, alias molestias periculosiores hac plena dosi esse adductas sibi persuasum habent. Plurimi vero opium aegrotis sub finem paroxysmi ingerendum esse inter se consentiunt; reapse tali usu dolores capitis vehementissimi, deliria aliaeque affectiones nervosae evanuere; paroxysmus rarissime vel modo sub maximo levamine reversus et cortice adhibito facile remotus est.

Quaedam remedia principio extractivo amaro praedita.

Omnia haec medicamenta amara modo in intermittentibus commodissime adhibenda esse, si caussa efficiens in eximia functionum abdominalium atonia et in tanta ventriculi sensibilitate nitatur, ut cortex ad assimilandum ineptus sit redditus, nemo in dubium vocabit. Primum locum occupat lignum Quassiae, quod auctoribus nonnullis 20) in iis intermittentibus

---

20) Farley in Phil. Transact. 1709. Vol. LVIII. p. 80

accommodatum est, quae una cum vomitu, cardialgia, secretione bilis enormi complicatae apparent. Deinde cortices aurantiorum iam supra commemorati; herba Trifolii fibrini, Centaurei minoris, (Tausendgülden-kraut,) Cardui benedicti, Absynthii (Weimuth). Multae aliae plantae commendantur ab auctoribus, quas singulas persequi longum nimis esset.

Radix Ipecacuanhae (Brechwurzel).

De radice unde lucrifacta botanici inter se adhuc discrepant.

Emeticis generatim tum in intermittentibus utendum, quando e certis symptomatibus elucet, ventriculum inutilibus sordibus esse repletum, magnaque putridae et viscidae saburrae copia gravari. Id autem caussae antecedentes indicant e. g. nausea, vomitus spontaneus extra paroxysmum, molestiae aliae in hypochondriis atque nausea in quovis cibo vescendo provocata, appetitus deiectus. Non pauci vomitum laudant in quartanae potissimum initio et interdum, prout res postulat, repetitum. Vires antifebriles Ipecacuanha imprimis in intermittentibus vernalibus epidemicis et biliosis aestivis declaravit. In paroxysmo, in quo graves affectiones nervosae prodeunt radix refracta dosi porrecta neque vomitu neque nausea exortis magna levamina saepe attulit 21). At certo

21) Meyer diss. de exim Ipec. nec non alior. quor. emet. refr. dos. exhib. usu.

spasmi et turbae, quae incipientem accessionem comitantur, emetico ita augeri possunt, ut medicum deinde poetiteat temeritatis. In universum de tempore opportuniori, quo dari debent emetica, disceptatur inter auctores. Alii tempus a paroxysmo remotissimum, alii quam proximum ante paroxysmum praeferendum existimant.

Araneum (Spinngewebe).

Texta aranea leni calore exsiccata baculo plane mundanda sunt, deinde textis purgatis addatur butyrum recens paratum cultro intime cum iis commixtum ita, ut circiter grana quindecim aranei cum butyri uncia una et dimidia coniungantur. Saepe hoc remedio semel vel bis adhibito eas pertinaces intermittentes se vicisse narrat Faust 22), quae cortici peruviano restiterant, quae secundariae aut symptomaticae et spuriae fortasse fuerunt.

Ammonium muriaticum (Salmi ak).

Etiam hoc remedium febrifugum dictum iam antiquissimis temporibus 23) in intermittentibus praesertim quartanis pertinacissimis usurpatum est. Symptomata si gastrica praedominantur et glandulae meseraicae ceteraque viscera abdominis obstructa exstant, usus eius indicatus est, dosis, si prodesse volumus plena attribuenda

---

22) Empfehlung der Spinnewebenh. geg. Wechselfiebr.

23) Weyer Wilhelm Muys diss. de Sal. ammon, praeclar. ad febr. interm. usu. 1716.

est et a nonnullis laudatur ad drachmas duas bihorio ante accessionem data. Ammonium muriaticum et solum et sulphure stibiato aurantiaco, floribus Chamomillae aut ab initio caloris opio ipso commixtum contumaciores febres removit, aut saltem viam cortice utendi aperuit. Attamen vero Burserius aliique calidiori temperamento praeditis nocere et facile intermittentes in continuas commutare, asserunt. Eller 24) cum medicamentis amaris coniunctum aut pro eo flores salis ammoniaci mortiales maxime laudat.

Flores Chamomillae (Kamillen).

Matricaria Chamomilla L.

Flores Chamomillae summopere laudandi sunt in intermittentibus, quae modo ab atonia organisque abdominalibus obstructis dependent et hanc ob caussam cum cortex mederi non possit, substantias volatiles atque excitantes requirunt. Nec desunt alii, qui, flores in hypochondriacis atque hystericis adhibitos cum Caryophyllatae radice aut Ammonio muriatico cortici peruviano antecedere, affirment. Sic quoque Sennert, Morton 25), Hoffmann, Schulz, Cothesius Pringle 26), Klein, Crell 27) aliique viri experientissimi, se floribus vario modo in febribus curan-

24) Observ. de cogn. et cur. morb. praes. acut. 1762.

25) Exercit. I. de febr. intermitt. cap. IV. p. 64.

26) Diseases of the army.

27) Baldingers Magaz. St. VII. p. 552.

bis exitu feliciori usos fuisse tradunt, et iam temporibus vetustissimis celebrati fuere primum a Nechepto, ab Aetio, deinde a Mortono, a Pitcarnio, a Cartheusero, a Langio aliisque 28). Flores soli sub pulveris forma ad drachmam dimidiam bihorio porrecti, multo magis autem cortici ipsi additi frequentius se efficaces praebuerunt.

Castoreum (Bibergeil).

Castor Fiber L.

Castorei vires quum in praxi medica ad deliquia animi hysterica, doloresque capitis, colicas, vitiliginem, statum suffocativum, cardialgiam felicissime tentatae medicos rarissime relinquerent, dubitari non possit, quin etiam id praesertim auctore Hahnemanno 29) in intermittentibus ab organis abdominalibus perturbatis dependentibus pro medicamento utilissimo habeatur. Drachma una duabus horis praeterlapsis paroxysmum excultum aegrotis ingesta interdum impediit, quominus denuo appareret.

Frictiones.

Omnibus corporis partibus praecipue abdomine pannis laneis calidis spiritu vini perfusis aliquo ante

---

28) Misc. veritat. fasc. I. p. 79.

29) Cullen's Anfangsg. d. pr. Arzneiw. a. d. Engl. üb. mit Anmerk. und Zusätz. v. Rotheram. B. IV. Leipz. 1800.

accessionem febrilem tempore perfrictis febris nova saepe depulsa est. Quod quidem Stoerkius 30) bis felicissime tentavit.

Sulphur stibiatum aurantiacum 31) (Goldschwefel).

Indoles huius medicamenti selecti ex Antimonio praeparati ad febrem intermittentem pituitosam et ad eas spectat, in quibus alvus obstructa est, quare etiam praeprimis ad infantes iam diu morbo scrophuloso affectos. Huic remedio Digitalis, Aconitum et Cicuta adduntur.

Hydrargyrum (Quecksilber).

Nonnulli medici Hydrargyrum modo febribus intermittentibus mederi credunt, si una cum iis morbus syphiliticus in corpore lateat, sed in quartanis neque affectione syphilitica coniunctis Huxham, Hoffmann, Schulze 32), Tissot, Baldinger, Lentin aliique eius testantur utilitatem. Maiorem vim exserit cortici adiectum. Benevenutus in quavis epidemica constitutione febrium perniciosarum, quae in continuas petechiales facillime degenerarent, corticem solum imparem iis subigendis se deprehendisse narrat.

---

30) Ann. med. 2. p. 166. sqq.

31) Vid. Theden neue Bemerk. — Selle Beiträge. — Hufeland. Journ. d. pr. Heilk. 1806. St. IV. p. 124.

32) Diss. de merc. usu in febr. interm. cur. 1742. in Hallers Beitr. zur Beförd der Geschichte und Heil. d. Krank. v. Crell. 2 Bd. 100.

Plura remedia narcotica.

Herba et radix Belladonnae (Tollkraut, Tollkirsche, Wolfskirsche).

Neutiquam vires huius plantae in intermittentibus, in quibus plexus nervorum abdominalium ab usitatissimis functionibus declinant, negligendae sunt. Si experimentorum numerus, si scriptorum fides, eorumque prudentia, quam ubique manifestant, considerentur; nullus profecto de antifebrili Belladonnae virtute dubitaverit. Horn 33) dosi grani dimidii ad unum et dimidium adaucta febrem pertinacem intermittentem quartanam se curasse enarrat. Morbus simplex nec aliis pathologicis symptomatibus erat complicatus.

Extractum Hyoscyami (Bilsenkraut).

Hoc eandem vim, quam opium in intermittentibus usurpatum exserit, itaque nervis abdominalibus gravissime affectis, glandulisque obturatis interdum maxima quidem diligentia porrectum exoptatum habuit effectum.

Aconitum (Eisenhut). Aconitum Napellus L.

Nuces Vomicae (Krähenaugen). Strychnos Nux vomica L.

Eas nonnulli propria experientia edocti, praesertim hystericis atque hypochondriacis, quorum viscera

---

33) Neues Archiv. B. X. St. II. S. 321.

iusigni torpore et atonia laborabant, praestitutas laudibus extollunt 34).

Semina Phellandrii aquatici seu Foeniculi aquatici (Wasserfenchel).

Haec quoque cortici peruviano substituenda esse, Lange 35) experimentis illustravit.

Vis electrica.

Quidam ad febres intermittentes coërcendas electricitatem praedicant atque commendant, et leviores ipsos obstructionis viscerum debilitatorum gradus ea tolli posse, tradunt. Febri aegrotantibus una hora praeterlapsa ante accessionem ictus electrici in aliquod tempus infliguntur.

Arsenicum 36).

Iam sub seculo decimo septimo Arsenicum album adversus intermittentes pro arcano salubri venditum est. Slevogt, Melch, Fricke, Keil 37), recen-

---

34) Junghans de nuc. vom. et cort. Hippoc. virt. — Aaskow Samml. für pr. Aerz. B. XIV. S. 609. — Marcus Prüf. des Braw. Syst. B. I. St. III. S. 39.

35) Die höchst heils. und wunderb. Wirk. des Wasserfenchels.

36) Trnka histor. febr. interm. Vol. I. p. 397 et sqq. — Harles in den Abhand. der physik. med. Soc. zu Erlang. B. I. No. 9. S. 176 et sqq.

37) Vollkommenes anat. chir. med. chem. Handbüchl. S. 63.

tiori aevo Heuermann 38), Jacobi, Fowler 39), Willam, Jenner, Brera 40), Harles, Rob, Marcus 41), William, Kluykens, Heim 42) ad unum omnes illius usum medicum in intermittentibus professi sunt, Nec sane principia huius remedii efficacissima febre laborantibus attributa, repudianda sunt. Tantum nonnulli inveniuntur, qui, aegros saepissime adeoque pluribus annis post ex Arsenico alias molestias cepisse v. c. vitia viscerum organica, praeprimis scirrhum cardiae, hydropem, icterum, febres lentas aliasque cachexias, persuasum sibi habeant. Hufeland aliique viri artis medicae peritissimi usum Arsenici profecto medicamenti venenati ac organismo animali, vel si in minimis dosibus porrigatur, maxime noxii, ferme incurabilia mala inde profecta testantes caveamus, praemonent. Heim autem hoc semper maxima diligentia aegris attribuens se nunquam malignos effectus observasse commemorat, ipseque ne corporis quidem constitutionis respectu habito, adolescentibus, qui firma valetudine non gaudebant, praescripsit. Si igitur pertinacia intermittentium seu sporadicarum seu epidemicarum tanta fuisset, ut legi-

---

38) Verm. Bemerk. und Unters. B. I. S. 29.

39) Med. Reports on the Effects of Arsenic in the Cure of Agues rem. Fevres and period headachs.

40) Annotaz. med. pratiche übers. in Harles N. J. der ausl. med. Litt. B. VIII. St. 2.

41) Ephemer. d. H. K. B. I. St. III. S. 64.

42) Der Arsenik als Fiebermitl. Berlin 1811.

bus statutis caeterisque remediis praesertim cortice adhibito depelli nequeat; tum demum ad Arsenicum refugere licitum est; antea autem omnes complicationes, ut status nervosus et gastricus praevalens diligenter removendae sunt, atque ubi vitia organica iam exculta in intermittentibus inveteratis se ostendunt, plane ab eius usu abstinere debemus. Ceterum Arsenicum quoque hac indole bona ornatum esse traditur, ut non solum celeriter opem afferat, verum etiam prohibeat, quominus aegri raro in febrem novam recidant. Fowler in solutione hacce praescripsit:

Rec. Arsen. alb.
Kal. carb. āā gr. LXIV.
Aquae font. dest. libr. dimid.
coq. in baln. aren. ad solut Arsen. usque. Solut refrigr. adde
Spirit. Lavend. comp. unc. dimid.
Aq. destill. q. r. ut omn. massa pond. libr. un. efficiat
M. D. S. Infantibus duos annos natis bis de die gtt. II. inter apyrex. adultis gutt. decem — duodecim.

Guttae octoginta huius solutionis granum Arsenici dimidium continent.

Brera sub hac formula commendavit:

Rec. Arsen. alb. gr. XXX.
solv. in
Aquae destill. unc. dimid.
adde
Aq. Cinnam simpl. unc. duas

Kal. carb. unc. unam
dig per hor. dimid.
M. D. S. ter de die guttas quatuor ad quindecim usque.
Harles:
Rec. Arsen. albi drachm. dimid.
Aq. destill. unc. sex
dig. in baln. aren. per sex hor. ad salut. Arsen. usq. adde
Natr. carb. drachm. dimid. in
Aq. Cinnam simpl. unc. duab. solut.
Heim utitur formula hacce:
Rec. Arsen. alb. pulv.
Kal. carb. āā drachm. unam
Aquae font. dest. libr. dimid.
coq. in baln. aren. ad solut. Arsen. perf. Mass. refr. adde
Spirit. Angel. comp. unc. unam
Aq. font. dest. q. s. ut tota solut. constituat libram unam.
M. D. S. Guttas quinque decem in aqua solutas omni bihorio inter apyrexiam.

Vesicatorium.

Duabus horis interiectis ante accessionem febrilem emplastrum vesicatorium regioni ventriculi applicatur. Hoc autem tantum per antagonismum agere in cutem omnes cognitum et compertum habent. Rush intermittentes vernales, in quibus China per plures dies frustra tentata erat, emplastro vesicatorio manus artubus adiecto, mox remotas esse narrat. Pertinax fe-

bris quartana intermmittens pedibus aqua fervida fortuito adustis evanuit 43). Vires vesicatorii paroxysmum semper molestiis spasticis incipientem, maxime moderantur.

Praeter haec remedia antifebrilia modo dicta etiam multa alia et absurda et inutilia commendata sunt, quorum vires hucusque nondum distincte sunt illustratae; quare eorum paucis modo verbis mentionem facere mihi liceat.

Primum locum obtinet Piper et Nuces Moschatae (Muskatennüsse), quae ambo partim sola partim pulveri corticis adiecta, in febrem illapsos ab aegritudine liberasse dicuntur. Laudantur quoque naphthae 44), quartana hoc remedio in paroxysmo recente repetito aufugit. Balnea tepida aromatica Hippocrates in tertianis et quartanis ad sudorem provocandum, Celsus eadem tum, cum aegri paroxysmum exspectant, utilissima esse referunt. Ferri egregiam adversus intermittentes facultatem concelebrare non dubitat Grainger. Secundum Schraud 45) aegris statim ab initio accessionis, cum frigus eos occupat, purgantia tanta dosi ingeruntur, ut eorum effectus iam inter paroxysmum animadvertantur. Modo blanda et leniora ad hibenda esse patet; validiora enim vires prosternunt,

---

43) Trnka Krzowitz Hist. febr. interm. p. 623.

44) Richter's chirurg. Bibliothek B. 15. S. 527.

45) De febrib. tentam. duo.

tonum viscerum labefactant, cruditatem augent, febresque reddunt diuturniores imo periculosiores, praesertim si perniciosae indolis sunt. Si sordes profunde in tractu tenuiori inveniuntur, quod ex alvo perturbata et clausa et profusa, e paucis et aquosis excrementis, abdomine expanso, flatibus, dorsi doloribus, pondere extremitatum inferiorum cognoscamus, laxantia tempore quidem febre soluto, accessione demum finita, danda sunt. Revera raro remedia supervacanea saepe sola ad febrem tollendam adeoque excrementis non demissis, maxime idonea facta sunt. Harmand et Brera 46) praesertim ad quartanas extracti foliorum Taxi grana X — XII aut pulveris unc. II. intra horas XXIV suadent, nec non Lind aliique 47) ligno Mahagony usi sunt; Rubini 48) recentiori aetate Datiscam videlicet cannabinam felici eventu adhibuit. Vinum quoque in intermittentibus cum magna atonia et debilitate consociatis, ut in veteribus, efficax fuisse, non pauci testes sunt. Deinde veniunt Amygdalae amarae 49) (bittere Mandeln), Fel tauri recens inspissatum, Fabae St. Ignatii, 50) Gallae turcicae

46) Comment. medic. Tom. I. p. II. p. 76.

47) Richters chir. Bibl. B. v. S. 130. 31. — Buchholz im Anhang. sein. übersetz v. Saunders Beob. über d. Heilkr. der roth. China R. S. 413. Wrigt Saml für pr. Aerzt. B. XIV. S. 413.

48) Med. N. Z. Novemb. 1798.

49) Frank in Huf. J. d. p. H. K. B. XXIV. St. IV. S. 154. nnd v. Jahr 1809. St. XI. S. 134.

50) Neumann Chym. med. T. II. P. II. p. 291. — Lewis mat. med. p. 452. — Hahnemann in Huf. J. B. 5. S. 52.

(Gallaepfel), Sapones, Allium sativum (Knoblauch), semina Tussilaginis seu Farfarae (Huflattig), Serum lactis simplex vel incoctis herbis amaricantibus per aliquot dies sumendum, Cichorium, Taraxacum (Loewenzahn), Ruta (Raute), Fumaria (Erdrauch), Agrimonia, Marrubium album, Tanacetum (Rainfarrn), sicuti etiam radices Pruni silvestris, Serpentaria virginiana, baccae Cupressi et plantae omnes antiscorbuticae, ex quibus diluta, tincturae, succi, extracta, pilulae, pulveres, electuaria, mixturae varii generis parantur. Porro cataplasmata e Nicotiana Tabaco scrobiculo cordis adiecta, radix Pyrethri 51) (Bertramwurzel), Imperatoria (Meisterwurzel), Frangula (Faulbaum), Myrrha 52) aut sola aut cum ullo ferri praeparato commixta, Prunus padus, spinosa, Fraxinus excelsior. Camphora collo appensa aut intrinsecus sumta, semina Postinacae ad drachm. unam; item testae ovorum in calcem igne redactae ad drachm. dimidiam bis aut ter de die adhibitae. Oleum animale Dippelii ad guttas quinque - viginti, sulphur quoque et Kermes minerale, decoctum Plantaginis, Alumen crudum a dimidio scrupulo ad unum e decocto Centaurei minoris quinque horis ante febris ingressum datum summopere celebrant alii. Non tamen silentio praetermitti pauca quaedam debent, utpote usitatoria et nostro tempore experientia apud nonnullos veluti comprobata. Talia sunt Lichen parietinus seu Parmelia parietina Sanderi, Valeriana celtica Hackeri et

---

51) Hufelands Journ. B. 15. St. 3. S. 163.

52) Abhand. für pr. Aerz. B. 6. S. 579.

Rhus cotinus Zsaldos. Nec desunt, qui Cicutam (Schierling), Salicem viminalem (Goldweide), capraeam, Ilicem aquifolium (Stechpalme), Matricariam (Mutterkraut), Chelidonium (Schellkraut), Tartarum emeticum refracta dosi datum aliaque aut absurda aut nauseosa suadeant. Denique animi affectiones et sympathia iam a veteribus ut certissima febrifuga proponuntur.

Qui autem omnes intermittentium complicationes, causas, contraindicationes, idiosyncrasiam etc. diligenter exploraverit, facile intelliget, quomodo et quando haec remedia et ipsa autifebrilia dicta, sola aut cum aliis coniuncta optimos effectus habeant. Multa eorum autem propter indoles vehementes, ardentes, excitantes, stuporem efficientes plane repudianda, alia rarissime utilia, plurima vero reiicienda sunt.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Fridericus Adamus Ernert natus sum Koettichaviae, Thuringiae vico, anno superioris seculi nonagesimo octavo, patre Ioanne Godofredo, oeconomiae dedito et matre Dorothea e gente Schneideriana, quos parentes optimos adhuc superstites esse, mihi multum gratulor. Ad duodecimum usque aetatis annum primis religionis et litterarum elementis domi imbutus anno MDCCCXI in discipulorum numerum gymnasii Cizensis receptus sum, in quo octo per annos ab eruditissimis et de me meritissimis viris b. Muellero, Kieslingio, b. Gelbrichto, Rebsio, Daehnio et Schroedero in litteris humanioribus sum instructus. Anno MDCCCXIX scholam Episcopalem, quae Cizae floret, reliqui medicinae operam daturus atque festo Paschatis praeterlapso civibus academiae Lipsiensis ab Ill.

Hauboldo tunc temporis academicas fasces tenente adscriptus sum, ibique per triennium hisce interfui scholis; philosophicis Ill. Krugii et Exc. Heinrothii, botanicis et zoologicis Ill. Schwaegrichenii, physicis et chemicis Exc. Gilberti, chemicis et pharmaceuticis Exc. Eschenbachii, anatomicis et theoreticis et practicis b. Rosenmülleri et Exp. Bockii, physiologicis Exc. Weberi et Exc. Haasii, pharmacologicis Haasii, therapeuticis Exc. Puchelti, anatomico - pathologicis Ceruttii. Cognitionem artis obstetriciae Exc. Joergio hygienes psychicae atque anthropologiae Exc. Heinrothio debeo; nec practicas institutiones scholae Regiae clinicae sub auspiciis Ill. Clari florentis neglexi. Triennio praeterlapso academiam Lipsiensem reliqui, ut quoque Illustrissimos Viros, quibus ducibus Universitas litterarum Berolinensis floret, cognoscerem, eorumque doctrinis in studiis me perficerem. Ab Ill. Wilkeno tunc temporis Rectore Magnifico d. IV. mens. April. anno MDCCCXXII in civium academicorum numerum receptus his praeceptoribus maxime reverendis gavisus sum: Ducibus Ill. Rust et Kluge omnium operationum chirurgicarum cursum audivi, atque Ill. de Siebold in schola obstetricia Regia exercitationes clinicas medicas frequentavi; doctrinam de cacochymiis mihi Ill. Hufeland tradidit. Exc. Iüngken chirurgiam generalem et specialem, sicuti quoque artem fascias rite imponendi me docuit, nec non institutionibus clinicis Ill. Berends interfui. Per semestre clinicum chirurgico - ophthalmiatricum Ill. Graefe atque institutum clinicum nosocomii Caritatis Ill. Neumann frequentavi.

Tentamine et examine rigoroso mense Octobri coram Gratioso Medicorum Ordine rite absolutis, dissertatione inaugurali conscripta et publice defensa, nihil magis in votis habeo, quam ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Catamenia modo viribus nervorum provocantnr.

II.

Cuique cordis morbo inflammatio antecedat, necesse est.

III.

Liquor amnios etiam ad embryonem nutriendum spectat.

IV.

Clavos per excisionem removeri non licet.